NONNULLA DE VERMIBUS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM MERCI…

Pietro Merci

NONNULLA
DE
VERMIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

MERQI PETRUS

PUBLICÆ DISQUISITIONI

IN C. R. PATAVINO ARCHIGYMNASIO

EXPONEBAT

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLVI.

612

Google

De verminatione generatim.

Vermes reapse morbum per se non constituunt, sed potius utpote morbi symptoma vel manifestatio considerandi sunt. Utrum vero signum sint pathognomonicum tubi gastro-enterici, vel e morbosa vegetatione dependant, litem nec delucidandam nec solvendam suscipimus. Vermes ergo proprie morbus non sunt, attamen multarum variarumque indispositionum causa esse solent, hinc qui vermibus laborat ex integro illos expellere conari debet. Quo diutius organismum incolunt eo magis numero et magnitudine crescunt. Si quis cibis non assuetis utatur aut alia ratio adsit vermes movens, hi serpere incipiunt, sugere fere intestina perforantes, sicque hominem infirmant. Haec vero incommoda in pueris et debilibus sensibiliora sunt quam in adultis et fortioribus, quorum intestina non adeo sunt irritabilia, muco densiori et viscido obvestiuntur, unde difficilius vermium motus persentire valent: primo individue quoque quoad nutritionem patiuntur, eo quod cum hospitibus nutrimenta dividunt quodque remanet ab ipsorum excrementis et perspirationi-

bus inquinatur. Quoad eorum generationem ab ovis vermes edi credimus: ova ista corpus ingredi possunt per cibos, potus et aerem. Rusticus aquam bibit multam saepe impuram tempore aestivo, et vescitur cibis pinguibus et rancidis in quibus innumera ova vermium deponi possunt, quae a calore ventriculi et intestinorum foventur et aperiuntur. Certe per aquam puram innumeros vermiculos deglutimus. Nonnulli pisces vermes saepe continent et speciatim taeniam; hocque a Ruischii observationibus confirmatum habemus. Equidem pisces coquendo vermes ovaque ipsorum necari possunt, sed nonnulli medici fide dignissimi, qui piscem coctum taeniam vivam continentem viderunt, contrarium aliquando evenire comprobarunt; et vermes forsan non pereunt, nam non bene pisces coquuntur. Pauci illi sunt qui vermium ova non deglutiunt eo quod innumera per aquae poculum sumuntur. Cur ergo non omnes vermibus laborant? Nunc conditiones ipsorum evolutioni faventes referemus. Ova vermium in tubo gastro-enterico foventur:

I. quum modicus adsit calor;

II. quum ibidem morari possint; hoc fit quum agglutinantur cum muco naturali tubi gastro-enterici, nec distrahantur ab eorum situ a continua in hisce locis arteriarum pulsatione;

III. quum motus peristalticus tubi gastro-enterici non illa ad intestinum rectum cito propellat;

IV. quum non corrumpantur a vapore qui a

vasis exhalantibus continuo emittitur in ventriculo et intestinis eodem modo quo tritici granum fere expressum et evolutum remanet, si imber continuus super ipsum versetur.

Istiusmodi dispositiones in individuis debilibus facillime inveniuntur, e contra in fortioribus vermes majori vi moventur, arteriae vehementius pulsant, exhalatio est copiosior, calor major: nunc si homines bini, unus debilis, alter fortis eamdem sumunt nutrimentorum quantitatem, eadem quoque ovorum quantitas ab ambobus deglutitur, haec possunt facilius in primo commorari quam in alio, quum aquam imporam suprabibendo talis non conficiatur quantitas, ut ipsorum nonnulla remaneant in muco intestinali aut rugis et valvulis. Ex supradictis clare patet pueros facilius vermibus et quantitate majore quam adulti laborare; vermes magis feminis quam viris esse familiares et frequentiores in illis qui vitam ducunt otiosam, quam qui continuo motu organismum exercent. Quamvis vermes undique corporis humani inveniantur, in ventriculo tamen et intestinis communius sedem habent.

Species vermium quae saepissime in homine inveniuntur.

Homo quinque praecipuas vermium species continere potest.

I. Species casei vormibus similis est et dicitur ascaris aut vermis saltans; hic fere semper

est albus parvus, in extremitatibus acutus, incolit rectum intestinum et colon, celer movetur, egreditur, et saepe retrocedit per anum, in teneris puellis, feminis ardorem ad uretrae orificium etiamque fluxum album producit. Nunquam solus est et saepe cultis aliis comitatur.

II. Speciei vermis dicitur lumbricus terrae, lumbricis terrestribus ac pluvialibus similis et quamvis albior sit, nec anulos tam manifestos ostendat. In quocumque anulo, majori excepto, lumbrici terrestris quatuor ordines observantur pilorum, qui emittuntur et retrahuntur. Hi pili recti sunt sed unam versus et aliam extremitatem, ad vermis arbitrium inclinari possunt; per hos facillime ab uno ad alium se ferre locum, retrahi, pungere intestina doloresque excitare valet. Una extremitatum speciem oris format, ubi tres prominentiae advertuntur. Vermis pluvialis potest contrahi in parvum volumen, et brevis crassusque fieri, eadem figura equidem in illis, qui vivi incolunt organismum animadversa fuit. Vermes terrestres sunt molliores, sint vivi aut mortui; dum illi hominis saepe saepius sunt duri ac tumidi. Etiam ipsorum anuli inspici possunt, sed fere destructi videntur et multi hujusce speciei in corpore humano inveniuntur. Vermes isti plures quartae brachii partis longitudinis sunt, saepe illam brachii unius et trium quoque attingunt. Baglivius de verme longitudinis pedum triginta, quem aeger alium odorans vomuit, narravit. Hujusce specici vermes non solum in terra et hominibus, sed etiam in

vitulis et canibus reperiuntur. Inter illos qui corpus humanum incolunt nonnulli sunt mares, alii feminae, dum terrestres sunt ermaphroditi. Quamvis similes exterius lombrici humani et terrestres videantur, tamen magna interest differentia ex anatome a Willis, a Redi, Vallisnieri et aliis instituta. Istiusmodi vermes inventi sunt in renibus, in ventriculis cerebri, ad nasi radicem: alii eos viderunt in hepate, in cordis ventriculis. Eadem animalia quo homo offerunt phaenomena. Redi, Baglivius, Torti aliique medici eos in diversos fluidos immiserunt, ut methodus, quae facilius interficerentur experientia eliceret; sed eorum experimenta diversas habuere sequelas; tamen mori facillime videntur in aqua frigida. Vermes abhorrent ab hydrargyro, et experientiae nonnullae contrarium demonstrant; alii dicunt eos a vino et alcohole abhorrere, sed vermis in alcohole immersus per diem vitam continuavit. Adeo sunt vitales ut nec venena illos interficere valeant, et animalia aliqua necata sunt veneno intestinaque eorum cum vermibus vivis inventa sunt

III. Vermium species a tenia constituitur. Hic vermis latus est, albus, articulis quibusdam distinctus, latioribus in una quam in alia extremitate. Quodque articulum praeditum est papilla, sunt ductulo absorbente fere rotundo. Quam longitudinem taenia attingere possit, fere incredibile videtur; nonnulli ab octogiota usque ad tercenta brachia taenias longas sese vidisse narrant. Taenia

egrediens longior et latior videtur quam postea; quum pars aliqua teniae egressa sit, facile forsan alicui illam extrahere videtur, sed haec operatio valde est difficilis immo impossibilis, nam aeger, quamvis caute trahatur, tamen in abdomine talia patitur ut convulsionibus corripiatur. Plures taeniae species ab auctoribus admissae sunt, quas tamen nos describendas non sumimus.

IV. Speciei vermes vocantur ascarides lumbricoides, quod lumbricis fere ex integro similes evadunt et acuti ut illi in embabus sunt extremitatibus, sed longiores sunt et hinc cum lumbricibus confusi sunt.

V. Vermes speciei dicuntur fasciolae intestinales. Vermes isti sunt densi et in quocunque latere animadvertitur radius parvis constans aciebus obtusis. Crassior extremitas in aciem sectam desinit, sed alia semper decrescit usque dum ab acie acutissima terminetur, qua piscibus saepe adhaeret, ita ut si abstrahere illum velimus, laceretur, nisi piscis in frigidam aquam immergatur. Fasciola tenet ad latera canaliculos absorbentes et valde sensiferos. Hi canaliculi causa sunt dolorum cum vermis abstrahitur et ad inferiora versus per purgantia compellitur exorientium.

Rarissime omnes hae species simul inveniuntur in homine, attamen narratur de puero quatuor annos nato debile et macilento, qui multos ascarides, parvam taeniam et frustula manifesta vermium aliarum specierum uno tempore emisit. Constat ex observatione quod vermes magis

certis annis quam aliis abundant, quumque epidemia aliqua grassetur, mira vermium quantitas per os et anum ejicitur.

Quod hoc pendeat a bibitione aquae impurae, aut ex tepidulus ovorum incubationi faverit, aut si alia ratio prius concurrerit, statui ullo pacto nequit, quia prius inquisitiones recte non instituantur.

Certum equidem est quod ad auferendum morbum epidemicum in primis ab istis ospitibus corpus liberandum est, nam ipsi ex se febrim progignere valent, vel existentem adaugere, vel irregularem reddere, aut alia symptomata exacerbare, dolores graves, abdominis tensiones, deliria convulsionesque inducendo.

Signa vermium generalia.

Vermium signa generalia sunt sequentia: frequens caloris mutatio in facie, quae nunc pallida, nunc rubra fit, pruritus ad nares, frequentes capitis dolores speciatim sub digestione; os saliva primo mane repletur, quod etiam sub somno contingit ut ex ore egrediatur, somni inquieti cum contractionibus, dentium rumisatio, deglutitio dormiendo crebra, aliquis surgit rectus supra lectum, loquitur, vocat, et postea novitus quiescit et mane siti laborat; aeger patitur deliquia, vertigines, aurium tinnitum, nunc anorexiam, postea famem ingentem, anima ipsius foetet, putridas habet gengivas, molestatur a vomituritionibus constricte-

nibus et doloribus circa umbilicum; abdomen ex illico tumet, et aegrotanti ulceratum videtur, sumptio interna persentitur et rotationis motus, aliquando etiam abdomen est liberum, excrementa sunt foetentia; macies aegrotantis notabilis est quamvis multa edat, aeger patitur saepe pruritum et dolorem ad anum, frequenter tenesmum, et postea fit anxius et propriis occupationibus ineptus; contrarius propriis fit gratisque antea consuetudinibus, nequit ordinatim loqui, neque verbum interdum proferre valet; alii maniaci, alii fatui fiunt, alii absque causa convulsionibus nuncque tonicis nuncque clonicis, nunc levibus et absque spuma, nunc gravibus et ore spumanti corripiuntur; adsunt illi etiam quorum corpus omne riget deliquio afficiuntur postea cum vehementibus contractionibus excitantur, postea incipiunt delirare, quiescunt, et novitas plena conscientis praedita in se revertuntur, et tantummodo laxationem universalem accusant; isti frequenter bibunt, illi tussi sicca vexantur. Quidam dixit mydriasim signum certius esse verminum praesentiae, alii statum apyrexiae post absumptionem aquae frigidae; certissimum tamen quum aut vermes, aut ipsorum frustula egressa sint: sed omne quodcumque gravissimum symptoma a vermibus intestinorum excitari possunt: paucis verbis, monente Burserio, febres acutas, lentas, hecticas, malignas, putridas, epidemicas, famem caninam, bulimum, soporem, delirium, nauseas, vomitus, dysenterias, phrenitidem, catalepsin, febres vehemen-

tes et erraticas, syncopes, praefocationes, epilepsiam, coheos dolores, manias, ileum, volvulum, pleuritidem, ischurism, ventriculi et intestinorum perforationem varii practici et antiqui et recentes a vermibus genita conspexerunt.

Varia vermium symptomata ex quinque fontibus promanant.

I. A vermium crassitie et quantitate, quo majores et copiosiores sunt vermes, majorem suferunt nutrimenti copiam. Ex hoc pendet morbosa famis illorum qui vermibus laborant, et speciatim taenia, quae famis aliquando ita est dira, ut aegri deliquia patiantur, nisi cito sumant cibos; hinc male sese habent primo mane, qui semel de die comedunt, et melius si hoc bis terve agant; ideo mulier gestans taenia laborans ingentem ciborum quantitatem sumere debet.

II. Ex eo quod vermes sint aliqua in parte accumulati multoque muco obducti, quae obvestio mucosa tamquam eorum nidus consideratur; hic nidus aliquam intestini partem vi extendit et claudit cavitatem, unde tumefactio abdominis persistit, vomitus succedit, colica et volvulus.

III. Ex vermium exhalationibus et excrementis, quae utpote extraneae substantiae facillime putrescunt, et causa diarrhoeae, dysenteriae, et febrium periculosarum esse possunt, si cum chylo ad sanguinem per vasa latea et absorbentia transferantur. Eadem incommoda quoque quum vermes mortui non illico e corpore expellantur, in scenam prodire solent.

IV. Ab intestinorum perforatione, unde vermes in cavitatem abdominis transeunt. Quomodo hoc fiat equidem ignoratur, medici tamen permulti fide digni id evenisse confirmant. Si hoc accidat in primis dolores per ventriculum et intestina vagantes sentiuntur, postea aliquo in situ dolor atrox et fixus excitatur, qui longe fit minor per venas sectionem, et purgantia quoque variis formis sumpta aliquod ferunt levamen. Paucos post dies dolor incipit exacerbari et aegrum excruciat absque intermittentia. Quaecumque adplicea remedia, nullum certe obtinebis levamen; interim si vermes hepar corrumpunt in thoracem penetrant et mortem determinant, postea autopsia cadaverum saepissime invenis cicatrices in ventriculo et intestinis hepar et diaphragma corrosa.

V. Saepissime phaenomena vermium morbosa pendent ab eorum motu et suctione. Vermes ex se moventur dum fame laborant, aut quando a cibis vel medicaminibus molestantur, quae tolerare nequeunt, quo in casu sese abscondere et alicui loco adhaerere conantur. Generatim vermes non tolerant cibos duros multoque sale conditos, ferunt vina acida, semina anicis, liquiritias succum, saccharum et etiam aliquando lac illis nocet. Ipsis quidem placet hydromel, seu aqua cum melle, et hoc dolores a vermibus excitatos nunc sedat, nunc exacerbat, quod fit si in intestinorum inferiorem partem adsint et ad ventriculum versus ferri debeant ut liquidum pergratum

contingant. Ventriculus et intestina pariter sunt irritabilia sensibilia; hinc vermium motus spasmos, nauseas, ingratum saporem impaniationem linguae, angustias, constrictiones, vomitum, borborygmos, tensionem et doloris abdominis, nunc fluiditatem nimiam, interdum quoque alvi stipationem suctionem in ventriculo. Quum praeterea ventriculus et intestina cum caetero organismo communicent tatum, animalem oeconomiam turbant. Quum cutis constringitur horripilationes enascuntur, et si contractio ad renes succedit, urine fit pallida aut supprimitur: quum constrictio ad guttur extendatur, deglutitio impeditur. Ab istis spasmodicis contractionibus omnia alia symptomata promanant, quae a medicis in vermibus affectis observata sunt et quae jam alibi enumeravimus.

Prognosis.

Juxta nunquam satis laudati Burserii verba, ascarides omni periculo carent et curantur facillime; si vero negligantur, tenesmum, inflammationem et exulcerationem intestini recti producere possunt. Non idem pro dicto habeatur de lumbricis et taenis, longe major difficultas saepissime occurrit in istis, nec interdum vitae periculum deest. Albi minus quam nigri difficultatis et discriminis habent. Si vermes conjungantur cum aliis morbis animam manifestant putrefactionem, quam videntur effugere. Saepe autem cum ex-

crementis exeunt et boni ominis tunc signum Hippocrates praedicari docuit.

Therapia.

Indicationes praecipue in cura illorum qui vermibus sunt infecti, esse debent: vermes sedare, necare, expellere, eorum nidos deturbare, lenire symptomata, causasque e quibus foventur removere. Vermes in primis stupides redeunt oleosa, quae quoque lubricando in intestina, id agunt ut vermes difficilius adhaereant; postea emarcantis, quum maxime prosunt, ad saburras in quibus vermes enascuntur ac nidum statuunt expellendas gummata, graveolentia et salina. Nonnulli medici dicunt vermes necari ab oleosis, alii ab acidis tam vegetabilibus quam mineralibus; tamen generale pharmacon reapse non cognoscitur, et si multa remedia quoque in medium ferantur, omnibus in casibus non eodem modo respondent. Ad vermes mortuos expellendos juvant purgantia drastica et in primis jalappa, diagridium, mercurius dulcis, aloë, rhabarbarum, pueris specialim convenit syrupus cichorei cum rheo, illicitio abdominis cum oleo tanaceti, etc. Inter praecipua remedia in vitam vermium agentia et quae summe a practicis commendata sunt, invenimus: semen santonici sive cinae, corallinam maritimam, summitates tanaceti et hyperici, rutam caprariam, rutam hortensem, absynthium, radicem valeriane sylvestris, filicis maris, graminis, cornu cervi

ustum, vel tantum limatum, testas ovorum contusas, assam foetidam, myrrham, petroleum, oleum hyperici, spiritum vetrioli, vetriolum martis, camphorem, aethiopem mineralem, alii summopere laudant tartarum et vinum emeticum. Burserius tamen suadet pro aqua multo sale imbuta, hocque a practica enoss ene et aliorum confirmatum praedicat. Hisce et similibus auxiliis omnes verminum species enumeratae et etiam taeniae aliquando cedere visae sunt, plerumque tamen pertinacius persistunt. Methodi permultae inventae sunt contra taeniam, omnesque tamquam specificae praedicatae, sed multis in casibus fefellerunt. Contra ascarides a Langeo semine citri conquassata numero duodecim, vel quindecim et cocte in unciis quatuor lactis vaccini et postea fortiter expresse summopere laudata sunt.

628

Theses Defendendae.

1. *Non comprobatur vitae defectus ex deficientia respirationis et circulationis.*
2. *Examen aegrorum arduum non minus quam momentosissimum medentis objectum est.*
3. *Functio absorptionis parum in individuis nimis pinguibus activa.*
4. *Medicina vulgaris in curando dysenteria biliosa minus congrua.*
5. *Abstinentia ciborum non solum constituit remedium negativum vel passivum, sed etiam activissimum.*
6. *Hydrophobia in canibus ut plurimum ab impedita copula originem ducit.*
7. *Superfetatio possibilis.*
8. *Vena portarum est porta malorum.*
9. *In fractura femoris extensio continua necessaria.*
10. *Maxima inter effectus veneni viperini et acidi hydrocyanici analogia.*

19 1939

Digitized by Google